

1734.

1. Brumquellus, Dr. Salom: Te utilibus patroverem
juriis ex corrupto ecclesiae significato natis parau-
nit plane non utilibus.
2. Brumquellus, Dr. Salom. Ord. iur. ex decanus: Programma:
De iuribus patroverem utilibus spuriis, Joannis Riedel,
Phi. Engavi . . . inaugrali Dissertationi . . . pre-
missum.
3. Brumquellus, Dr. Salom: De fendo Reminatae
4. Brumquellus, Dr. Salom, Ord. iur. ex decanus: Programma:
De uno lingual Germanicæ veteris in studio juris
fondatis Longulari dici, Joannis Philippi Tremeri
. . . inaugrali Dissertationi . . . premissum.
5. Brumquellus, Dr. Salomon, Ord. iur. ex decanus: Programma,
juro privilegiorum Sacrae Scripturae de non appellando etiam
querelam nullitatis, supplicationem similitudine
remedia et summa imperii tribunalia excludere
arbitris, Joann. Christiani Wenzelii . . . inaug. Disser-
tationi . . . premissum.



1737.

6. Cramer, James Fridericus : De usu philosophiae in facultatibus superioribus 12
7. Haagen, Carolus Ius. Lector : De Jure - Kinarien iugiter
sive ordine. 17
8. Hertelius, Th. Fridericus : De privilegio Saxonis
de non appellando ad terras Misnicae, Thuringicae
et Franconiae extensendo. 1.
9. Hartogius, Georgius Ludovicus : Repudentia vera
politica. 3.
10. Remmerschies, Hieronimus Hermann : De austragio S. R.
comitum cum primis Webberiscorum et Luerorum
aliope en Franconie Hohenloeorum consuetudinibus 7.
11. Lehmann, Th. Tac. : De libera regis Polonorum electione
(Populations publicas : le institutio inbus philosophiae
moralis et juris naturalis ac gentium iudicis) 6.

1734.

12. Paganarius, Iacobus Gerardus: De Corolo IV Romanorum
Imperatore inter breue bullae ejusdemque Latinae
scriptores pretiosissimum referendo.

1735.

1. Brucknus, Wilhelmus Hieronymus: Morimine contatus.

2. Estor, Iohann Georg: Vie mathematische, die Physiographie
Berlin auf Universitas zu lehren.

3. Estor, Iohannes Georgius: De syndicatus instrumentis Gen.
erbiorum subrogandis. Programme, quo ad orationem
auspicalem . . . invitat.

4. Horkelius, Dr. Fridericus: De procolepsia advocateum.

5. Horkelius, Dr. Fridericus: De iure studiorum.

6. Horkelius, Dr. Fridericus: De libertate mentis
probationis in processu.

- 7^{1st} Kemmerichius, Didericus Hermannus: De neutralitate
Latium Imp. R. G. in bello imperii illius. 2 Sept. 1735

1771 (S. 2. praeft)



1735.

8. Kemmerichius, Diet. Herm : Programma : De libertate
commerciorum tempore bellici restricta, Joannis Adolphii
Wilhelmi a Gohren disputationis inaugurali . . . prae-
missum
9. Kemmerichius, Diet. Herm, Fac. iur. praedecanus : Program-
ma minime ad vocatorum honorifico, disputationis inaugu-
ranti Adami Hermanni . . . praemissum
10. Kemmerichius, Detenus Herm : Programma : Remittit
principum electorum et Ducum Seminal circa processu
jurisdictionis, intencionis publicae ad Novi Jacobi Opini-
onis . . . dissertationem inaug. praemissionem.
11. Kucklens, Henr : De justitia qua virtute
in collisione legam cumpromissi conspicua.

181

1834, 3

FAVENTE DIVINA GRATIA
AVSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
GVILIELMI HENRICI
DVCIS SAXONIAE IULIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE WESTPHALIAEQVE RELIQVA
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM IVRIDICAM
DE
FEVDO KEMINATAE
VVLGO
Kemnad.

SVB MODERAMINE
IO. SALOM. BRVNNQVELLII, IC.
SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS ISENACENSIS ET GOTHANAЕ DI-
TIONIS A CONSILIIS AVLICIS DIGESTORVM PROFESSORIS PVBLICI
COLLEGIORVMQUE IVRIDIC. ASSESSORIS GRAVISSIMI
PATRONI AC PRAECEPTORIS PIE DEVENERANDI
PRO GRADV IVRISPRUDENTIAE DOCTORIS
LEGITIME CAPESSENDO
AD D. XXVII. MARTII A. O. R. M DCC XXXIV.
H. L. Q. C.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET
IOANNES PHILIPPVS TREVNER
AVGVSTA - VINDELICVS.

IENAE EX OFFICINA RITTERIANA.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
FEVDO KEMINATAE
VVLG
Kemnadt.

S. I.



ERMANIAE regnum feudale recte Instituti
dixerunt iuris feudal is interpre-
tes, qui clientelarem nexum apud
Germanos in omni fere parte
prouinciarum obseruarunt. Iam
non in rationes introducti iuris
inquiram, nec naturam feudo-
rum germanicorum generalem considerabo, quo
labore iam alii doctissimi quique sunt defuncti, cui
ergo eo facilius supersedemus, quo magis non est
animus, aliorum dicta sive repetere sive describere.
Sistere hinc volumus examen peculiaris feudi spe-
ciei, quod ob raritatem & vtilitatem lectori placere
possit nostro. Id est feudum *Keminatae*, *Kemnadt*,
Schlehn,

A

Sesslehn vulgo dictum, cuius mentio hinc inde fit apud scriptores rerum germanicarum, & quæ ab his dependent, Italicaram. Huius vero ideam tunc demum recte repræsentare poterimus, si in nominis rationes inquisuerimus, illudque a reliquis feudi cognatis speciebus rite sciunxerimus, cui negotio prosperos a summo numine precamur successus.

S. II.

Vocabuli
Kemnat
etymolo-
gia.

Vocabulum **Kemnat** a scriptoribus medii ævi frequenter usurpatum, iidem meminere quoque feudorum Caminatæ, opus igitur est, ut vocabulo suus detur sensus, si feudo Caminata sua constare debeat ratio. Caminata vero idem est ac camera, siue, vti in vernacula nostra nos exprimimus, eine **Kammer**, **Kamer**, innuere vero veteres sub hoc vocabulo conclave, cuius tectum in primis est concavum, ein gewölbzt **Zimmer**. * Fuere eiusmodi ædificia maioriis ac firmioribus lapidibus extructa, quapropter in casu incendii vel repentina tumultus tutissima fugientibus præhuere receptacula. Inde vocabuli similitudo, non dicam, suadet, sed iubet, vocem **Kemnat**, **Kemnot**, **Kempnot** haberi pro uno eodemque, vt itaque per illad Germani nostrilapideam domum significare voluerint, accedit coniecturæ noua ratio, quod &, **Kamer**, idiomate Slavis proprio, lapidem denotet. Dum igitur lapidea ædificia ab vsu, rareitate, vt & extractionis modo præ ceteris Germanis sese commendauerint, quibus in veteri ævo simplicitas & vtendi necessitas sufficiebat, mirum non est, quod singulare illis statuerint pretium, illaque mox vocabulo latino barbaro-Caminatæ, mox germanico **Kemnæd**

Kemnac &c. expresserint. Quæ generalis & pri-
mæna vocabuli **Kemnat** notatio, ædibus lapideis tri-
buta, in specie sequiori æuo adiplicari cœpit ad ædes
lapideas, in feudum siue datas siue oblatas. Primis
igitur temporibus promiscua fuit feudi Cameræ &
Caminatae s. **Kemnat** adpellatio, ac vtrumque feu-
dum lapidei ædificii denotabat.**

* Conf. DV FRESNE in glossario voce: *Caminata, SPELMANN*
in gloss. voce: *cambia*. & SCHILTERVS in glossario Teutoni-
co p. 508. adde 10. GEORG. WACHTER in glossario germ.
voce: *beim*. conf. Diploma apud illustr. Dn. de LV DE WIG
Reliqu. MSt. T. IV. L. V. n. IV. p. 247. quo caminatam mona-
sterii tradidit præposituræ ad S. Hyppolitum, ruinam minan-
tem, eo siue, vt alia caminata in loco designato ædificetur.

** V. OLEARII Hist. Arnst. P. I. p. 197. STRICKER de Caroli M.
Expeditione in Hispania apud SCHILTERVM in Thes. Ant.
Teut. T. II. p. 95. & SCHERZIVM in not. ad Spec. philos. mor.
medii eui Fab. 45. v. 88.

§. III.

Posteaquam ostendimus, Caminatae s. Cameræ
vocabulum lapideam domum denotare, cuius facile
est intellectu, cur illud vocabulum porrectum sit 1) ad
quodvis cœnaculum, conclave, vbi caminus extat,
quod Italisch adhuc hodie Caminatae nomine venit,
vel vbi ob flammæ periculum securi agere, resque
suas œconomicas tractare poterant inhabitatores *
2) ad monachorum receptacula, vbi in commune
conuiuantur, seu, definiante HÆFTENO apud DV
FRESNE ** calefiunt, vnde descendisse quoque pu-
tem vocem germanicam *Camin*, gallorumque *che-*
minée. 3) ad omnem ampliorem domum siue palatum,
in quo sacra publicaque peragebantur negotia. ***

A 2

Vocabulū
Caminatae
significatiō
varia.

* Sic

* Sic liber Salicus monasterii Ebersheimensis a SCHILTERO in gloss. Teut. p. 508. excitatur sub cap. Iudicium Silvarum: *unde fol es ginre gebessern in mines Herrn Keminaten.* Item in cap. Iudicium Senatus: *unde is das mines Herren, des Abbes hovegesinde gezieren, darumbe en sollent si zu keiner notrede stan, wande in mines Herren Keminaten.* adde Fragmentum de Bello Hispan. Caroli M. v. 1254. der Kunig vorherte XII. herren in sine Keminaten. Variam possea accepit formam ista vox; sic apud STRICKERVM de Expeditione Caroli M. Hisp. c. X. S. X. p. 95. legitur Chomenaten, licet codex MStus Litzelianus habeat Keme-naten. Dicitur & Kennot, Kennet, ita habet vocabularium anonymum MStum: *Caminata, eyn Kennot,* idem vocabularium conclave: *Kimpnot.* v. SCHERZIVM ad Strickeri l. c. plura autorum testimonia adfert DV FRESNE in gloss. medii xii pag. 78.

** In gloss. p. 783. *Caminatam fratrum a fundamentis ædificauit.* Chron. Fontanell. c. 15. fecit domum egregiam construi - - ubi cameram & caminatam ædificari mandauit. c. 16. Videntur hoc pertinere verba CHRODEGANGI in Reg. Canonic. C. 36. postquam de refertorio exierint. in caminada bibant duobus aut tribus vicibus &c. Monasterii Kaminadas mentio sit apud Dn. de LVDEWIG Reliq. MSt. Tom. II. p. 188. T. VII. p. 52. unde suspicari licet, & haec ædificia a structuræ ratione adpellationem suam acceperisse; ita in charta Geraldii, episcopi Cadurcensis inueniuntur verba: inuaserunt domum s. Caminatam ecclesie B. Mat-rix de Lobiros.

*** Hac significatio propria fere est EKKEHARDO iuniori de casibus S. Galli. nam cap. 7. clauditur *caminata* super episcopum, & duos, qui aderant presbyteros. cap. II. *caminatas* claustris abbatem aperire rogauit. cap. 16. de Ottone Imperatore, Ottonis iunioris patre, inquit: interea pater ad calcandum in caminata iuit; ex cænaculo nimirum, aus dem Saal, ibidem: in alta illa, quem Notkerus S. Sindolfo quondam clausit, locatur Ca-minata. Inde recte GOLDASTVS Script. Rer. Alamann. T. I. P. I. p. iii. dicta loca de camera, conclavi arcuato, Alamannis corrupta

corrupta voce *Kemlaten*, adpellatis interpretatur. Utitur saepius quoque eadem voce *DITHMARVS* Merseburgensis episcopus. imprimis L. II. & VI. Hisce denique merito iungendus *LANDINVS* ad *Dantem*, qui *Caminatas* in Lombardia *sale de palagi* palatiorum cecos, dici adfirmaat. adde *WIGANDI GERSTENBERGERI* Chronicon Francobergense apud Dn. *KVCHENBECKER* Analectis Hassiacis T. II. P. V. pag. 175. ibi: Frankenberg ist die älteste *Kummenden* in aller dieser Artz & Genealogiam der Landgrafen, so Thüringen und Hessen bey einander gehabt haben apud eund. loc. cit. P. VI. p. 296. v. 146.

Darnach sich ihn zu richten war,
Als sie nun kriegen den Verhörschiff,
Den Rath man bald zusammen rief,
Bestelten allenthalben Wacht,
Und der Sachen nahmen gute acht,
Sieben Verräther man auch fand,
In der Kommeten des Dechant,
Der Albrecht von der Danne hieß,
Und auf die Statt het groß Verdrieß &c.

§. IV.

Latius multo patet Cameræ significatio, quæ alia est, si communem loquendi rationem spectemus, alia si iuris feudalis doctores audiamus. Prioris igitur considerationem quod attinet, *Cammer*, *Camm*, *Kamar*, *Camba*, *Camera* veluti promiscua vocabula inuenias, quorum priora plerumque fiscum regium vel principis innuunt. * Deinde illud vocabulum trahi attendo ad urbes & ciuitates Imperii, vti dicuntur, liberas, quæ scilicet Imperatori sine medio parent, & ad onera publica non solum, sed etiam ad ærarium Imperatori proprium contribuunt. ** Porro Camera in specie priuatum principis patrimonium,

Cameræ
significatus
alius
in commu-
ni loquendi
ratione.

nium, in quod mulctæ conferuntur, significat. ***
 Denique vulgato Gallorum vsu illa vocabula de
 parte ædium, in qua priuata & œconomica tracta-
 mus, accipiuntur. **** Ex analogia vero latini fer-
 monis hæc vox fornici tantum conuenit, est autem
 fornix, arcus ædificium sustinens, sive tectum deue-
 xum & incurvatum, ***** illos enim tolerare vix pos-
 sumus, qui cubicula sub hoc vocabulo intelligere
 volunt. *****

* Confer in eam rem verba priuilegii FRIDERICI I. Augusti
 Monetariis Wormatiensibus dati au. 1195. apud SCHILTERVM
 in gloss. Teut. voce Münze: die Monze ist eyns Keysers Ca-
 mer. vnde ius illud porro, si principi a Cæsare sub lege feudi
 fuerit concessum, ad cameram principis spectare videbatur, vi-
 de ius vetus Augustanum, capite de iure asyli, monetæ & eo,
 qui ad monetam fugit: der hat den Bischof heingesucht, reicht
 als in finier Camer, wan die Münz in sin Chamer hörert, und
 sol sin Huld gewinnen, darum und auch in bezfern an sin Gra-
 de. adde, qua erudite notata sunt a DIECMANNO ad glossa-
 rium Rhabani voce: Camera.

** Vid. STEPH. BALVZIUM T. I. Vit. Pap. Auenion, in vita
 Benedicti XII. P. M. de Camerace p. 807. Cameracensem ciuit-
 atem, qua est Camera Imperii, voluit intrare. de Francofurto
 testatur titulus veteris reformationis: *Reformacion der Stadt
 Frankenforst am Meine, des H. Römischen Reichs Camer.*

*** Hinc in chartis Imperatorum & Regum crebro hæc formula
 inuenitur: libris auri X mulctetur, medietatem predicto mo-
 nastryo, alteram cameræ nostra. conf. BESTIVM in Histor.
 Com. Piclav. p. 251. 260. Per Scrinium hanc vocem explicat
 ACCVRSIUS ad rubr. C. de proxim. sacr. scrin. adde II. F. 53.
 §. si quis vero.

**** Sub hac notatione occurrit C. 25. X. de appellat.

***** Quo sensu apud elegantiarum æque ac nequitiarum arbitrum
 PETRONIVM sepius occurrit. contul. editionem Adriani dis-
 Amst.

Amstelodamensem 1669. p. 139. ibi enim idem vocabulum per tectum explicari vidi, unde Cameræ vox ad quazuis publica loca & obscene libidinis receptacula frequenter admodum applicatur a rei amatoriaz scriptoribus, quibus Camera & fornix nil aliud est, quam lasciuæ domus. dubitatur adhuc, vitrum camera, camara, an vero carmenta præferri debeat. verum eam criminam non definiam. id modo indicasse sufficiat, accurioribus interpretibus. BROEKHVSIO quidem aliisque ad Propert. p. 217. vtriusque scripturæ: cameræ & camarae, rationem plare, ita tamen ut scriptio per se eidem præ ceteris arrideat. vid. BVRMANNVM in Petron. p. 112. b. 176. RITTERHVSIVM in Guntherum, Efigurinem p. 150. VRSINVS in App. Inst. L. I. p. 32. Vox in se est græca originis, græcis enim καμέρην idem est ac τροχόλον, nobis vero germanis eine runde oder gewölbte Schneckenfigur. Hinc καμάρα, latinis camera dictæ, sunt arcuata & armata tecta & in morem rotarum corrotundata, a quo adscendi more perite admodum Cassiodori verborum de rotatione camerarum explicationem desumit SALMASIUS ad Spart. Adrianum c. 10. Recte igitur Scaligerana I. 41. fornices interpretantur per cameras. Iunge SCHEFFERVM de milit. nav. p. 325. 326.

***** Iure meritoque Accursius BVDAEO in Ann. ad ff. p. 464. 465. vapulat, qui Vlpianum, de camera loquentem, cubiculum intellectu inepit somniat, certe hanc significationem Vlpianus ignorauit, adde SAM. PITISCVM in Lex. Antiquit. Rom. voce: Camera.

§. V.

Possemus plures adhuc commemorare vulgares
vocis Camerae significationes, sed frequentiores tan-
tum enumerandæ erant, ob fines dissertationi præ-
finitos. Quare ad iuridicam, & quidem feudalem
(§. IV.) vocis huius notationem progredimur, cuius
non utilis erit obseruatio. In arte vero iuris feu-
dalium denotat 1) locum, ubi pecunia reperitur siue
thesau-

aliius
in sensu iuris
ris feudalis

thesaurus publicus seruatur, vnde descendit feudi species, quæ de *camera* dicitur, vbi quis ob fidelitatis singularis meritum nummos accipit ex ærario vel camera domini, cuius naturam a propriis feudis diversam exposuerunt alii.*) pro communi omnium rerum pretiosarum receptaculo accipitur, quo sensu, qui cameræ vocabulum intelligunt, feudum cameræ, cauea s. caneuæ pro vno eodemque habent; cauea enim eam cellam, in qua frumentum, oleum, vinum & huiusmodi reliqua conseruantur, innuit, quæ si pro stipendio vasallo a domino dentur, recte quoque referas ad cameræ feuda. Sed magis specialis & visitior ea est significatio, qua 3) in iure feudal per cameram illud tantum intelligimus conclave, in quo pecunia fuit deposita; & hac ratione feendum cameræ plerumque conuenire videmus cum feudo *Soldæ*, quod an a nummis solidis & bracteatis, quibus stipendia merentibus soluebantur, dicatur; an vero *soldæ*, quod stipendum ipsum denotat, appellationem beat suam, disquirant alii,** *soldæ* tamen vocabulum nomen huic feudo dedisse putarem, cuius denotationem rursus a solidis nummis, loco stipendiis datis, recte deduci, adeoque utramque derivationem suo non destitui fundamento, omnemque litem hac ratione facile componi posse, existimauerim. ***

* Vid. DV FRESNE in glossario voce: *Camera*. ROSENTHAL de feudis C. II. §. 30. 31. ZASIVS de feudis P. 12. §. 31. ab hoc rursus differt feendum annuae prestationis, quod non est personale, sed ad heredes transmittitur, quod in feudo de camera locum non habet.

** Omnes nummi in prisco æquo aut solidi aut bracteati illi tempore

pore Caroladum in summo ponebantur pretio, hi vero temporibus medii æui magis erant in commercio, vide eam in rem antiquitates nummarias LEVCKFELDI & Du. de LVDEWIG in Tr. *deutsches Münzwerk mitlerer Zeiten*.

*** *Solidata* dicitur valor vnius solidi, imo & ipsum stipendum militibus præberi solitum. Hinc *soldum* stipendum militare, *solidare* stipendum præbere, *solidarii milites*, qui stipendio mercenari dicuntur apud scriptores medii æui. Vid. SPELMANN voce: *solidata*. & DV FRESNE in gloss. p. 985. 986. adde Ill. STRVII Iurispr. feud. c. V. §. 19.

§. VI.

Hæ erant significaciones Keminatae, Cameræ, Cauenæ promiscuae, quatenus maiora ædificia quævis s. publica siue priuata, securitati non minus quam visib[us] œconomicis destinata, sub iis indicari vidi-
mus. Nunc superest, ut ostendamus, eam vocem feudo peculiari factam suisse propriam, & recentiori ætate lapidea ædificia, maiora quidem & defensio-
nioni accommodata, vasallo sub fidelitatis & nexus
feudalis lege concessa, in specie dici fenda Keminatae.
Est igitur illud feudum nil aliud, quam lapideum
& quodammodo munitum ædificium, pro fide & ser-
uitiis præstandis a domino vasallo datum. Existem-
tiam huius feudi euincunt omnia ea documenta,
quotquot de uestitura, super Keminata facta, lo-
quuntur, ad cuius rei vteriorem declarationem plu-
ra cumulauimus exempla vasallorum, qui eiusmodi
lapideam domum iure beneficii feudal[is] se possidere
sunt testati.*

Feudum
Keminatae
eiisque de-
finitio.

* Horum mentionem facit SCHANNAT *im Fuldischen Lehn-
hof* p. 20. qui in probationibus clientelæ Fuldensis varia addu-
cit Keminatarum feuda, ab Ecclesia Fulensi concessa. Hanc

enim secundam fuisse Keminatarum matrem, testantur tot inuestituras, ab eo excitatae. Sic p. 39. Hermannus de Aldenburg inuestitur de *Keminata* s. ædibus ex lapidibus constructis in Eyterfels a. 1401. p. 58. adducitur exemplum Gisberti, Ioannis, Engelberti & Calparis de Breidenbach dictorum Breidenstein, multaneæ inuestitorum de *Keminata*, molendino & bonis in Saalmunster. Plura exempla, ab eo adducta, luebas omitto. Nobilem & aeternam reddidit Keminata Wintzenburgensem violenta ministri manus, quæ Hermannum ultimum Comitem Wintzenburgensem fatis cedere coegit, historiam communissi sceleris ex vetustissimo chronico exhibet LEVCKFELD in Antiquit. Gandersheimensibus p. 301. *De Greve van der Winjeborch hadde by sick eynen Ridder ut Suaven, de was utgereden, un de Ridder hadde eyn schon erlick Wyff, de wonde up dem Vorwarcke, dargingk de Greve Hermann ben, unde schaffede synen Willen an der erlichen Fruwen Dingk. De Fruwe, de meyde sick sere, unde was drorig: Do te Ridder te Huis kam, se clagede dat dem Ridder mit Bedrovenissen, de Ridder der wart tornich, und schickede syn Dingk und gingk an eynen Morgen up de Kemnade, da der Greve by syner Fruwen lach, und slack öne mit einem Schwerde dot &c.* Simili modo SAGITTARIVS in der Gleichischen Historie p. 230. meminit quoque Keminata Rembdenfus, quæ iam ad Academiæ nostræ bona spectat.

§. VII.

Origo Ke-
minate a
feudis castri
& castrensi-
bosis petita. *Stitere. Constan*
s nimirum ac rationibus historicis
suffulta est sententia, vrbes & loca munita sero de-
mum in Germania magna esse extructa, nullas Ger-
manorum populis vrbes habitatas, imo ne passos qui-
dem esse inter se iunctas sedes, satis notum est; cole-
bat discreti ac diuersi, vt fons, vt campus, vt ne-
mus

mus placuit, vicos locarunt non in nostrum modum, connexis & coherentibus ædificiis, suam quisque domum spatio circumdat, sive aduersus casus ignis remedium sive infictia ædificandi. * Sub Carolingorum Regum temporibus prima deprehenduntur earumdem incunabula, ** donec Henricus Auceps, alter Germaniae Theseus, homines, per pagos dispersos, mœnibus inclusit, & ad vim vi repellendam reddidit magis idoneos. *** Ex quo vero e villis regiis & castellis vrbes surrexerunt, ac maior earum accreuiisset copia, castra, Burgi, castella, vrribus & oppidis structura & nominibus fuere discreta, imo vrribus imponi, & alio loco excelsa & a naturæ munimentis instructo seorsim ædificari coepiunt, quorum defensioni castrenses, *Burgmänner* præfecere. Inde putarim, alia ædificia firmiora ac armata, quibus repentinis inuasionibus occurri posset, a priuatis securitatis caussa ad imitationem quasi fuisse extructa, & a lapidum structura (§. II.) Keminatas fuisse dicta, quum usus & structuræ ratio ab illo extrudiendi castra more multum differret.

* Vid. *TACITVS* de M. G. cap. XVI.

** Vid. III. STRV VII Corpus Hist. Germ. Dis. III. §. 8. 9. & PFE-
FINGER ad Vitriar. T. II. L. I. cap. 18. in not. ad §. 3. & 4.

*** Vid. GVNDLINGII Comm. de Henrico Aucupe §. 20. &
cel. WALDSCHMID in Disf. Marpurg. *de feudis castrenis*.

S. VIII.

Quem igitur mirari subeat, si in singulari pretio eiusmodi ædificia posita videat, adeo, ut possessores eiusmodi ædium de lapidea domo se appellauerint, Singulare
minatae
quasi honoris indicium indicantes, quod in posses- feudi Ke-
fione minatae
preium.

sione armatæ domus ponerent tamquam familiae suæ propria, quum in tanta rerum inopia, non cuius datum sit, secura habitatione frui. Nec aberrauerim multum a vero, si itidem nobilem gentem *derer von Steinbäuer* sive *van Steenbuyzen*, vti in Belgio vocantur, gentile nomen ab hoc honoris prædio accepisse coniicio. Sane primus eius nominis possessionem plurium ædificiorum lapideorum, suo labore partorum, hoc honoris titulo innuisse videtur, nam vidi diplomata, quibus inter alia testium nomina etiam quidam de lapidea domo adducuntur.*

* Ita occurrit *Johannes de lapidea domo* in literis ciuitatis Halberstadtensium ad Henricum Comitem de Anhalt an. 1266. missis apud BECKMANN in der Anhaltischen Historie V. Theil II. B. Cap. 2. pag. 74.

§. IX.

Progressus
feudorum
Keminatae.

Cum feuda Keminatae concessione talia sint (§. vi.), concessiones vero vnicے facto nitantur, Keminatarum naturam in se & origine sua esse allodialem constat. Verum enim vero posteaquam cum licentia bellorum ciuilium etiam dissipationes magis magisque affligerent patriam nostram, saepius eiusmodi ædificia sub lege feudalí concessa videmus (§. vi.). Inde vero duplex exurgit lapidea domus consideratio, quarum una est feudorum Keminatae, altera Keminatarum, quæ pristinam atque antiquam seruarunt naturam. Quare de feudalí earumdem natura prius dispiciamus, quam ad allodialem qualitatem progrediamur, cuius hodienum non pauca extant exempla.

§. X.

§. X.

Feudorum vero varia datur natura, alia communem seruant feudi affectionem, alia in uno altero genere a communi feudi abeunt natura. Illa dicimus propria, haec impropria feuda. Eodem modo inueni Keminatas, quæ omni ex parte cum proprio feudo conueniunt, rursus vero alias, quæ peculiarem ac singularem feudi qualitatem agnouere. Inde & nostra prima cura erit de feudo Keminatae proprio, altera de eo, quod in feudo Keminatae singulare ac improprium deprehendimus, erit occupata.

§. XI.

Ex idea feudi, quam nostræ speciei deditimus (§. II. VI. VIII. sq.), ejusque definitione prono sequitur alueo, tamdiu pro communi feudi nostri natura esse presumendum, quamdiu de singulari feudi qualitate non constet. Singularia enim, cum facti sint, probanda prius, quam de eorumdem iure decisio fieri potest. Ideo minus dubito, de feudo Keminatae generalia sequentia producere momenta, quibus varia deinde superstruere licebit consecaria. Hinc affirmo I.) Keminatae feudum ad propria feuda esse referendum, nec quicquam improprii vel singularis iuris iisdem temere esse affingendum, donec de contrario facto ex literis uestitituræ liquido constet. II.) Constitisse eadem in maioribus lapideis & quodammodo munitis ædibus, quæ securitatem domino & possessori præbuere. III.) Inter extantiora vtiliora ac insignia feuda fuisse relata, quamobrem multa memoria digna in concessione & traditione feudo-

Forum
varia in-
doles.

Regulari-
ter sunt
1) vera &
propria
2) securita-
tis causa
comparata
3) nobilia,
maiora &
præstan-
tiora.

rum Keminatae inuenimus, quæ accuraterem expositionem & declarationem mereri videntur.

§. XII.

Quia in re conueniant vel recedant a cognatis feudi speciebus imprimis a feudo Cameræ,

Cum igitur nostrum feudum sit ex genere priorum (§. XI. 1.), extra omne dubium est, 1) omnia iura & heic sibi vindicare locum, quæ alias circa constitutionem, transmissionem ut & amissionem feudi tradi solent a feudalibus iuris interpretibus, nobis igitur, ab aliis iam exposita & explicata propone, cum non sit animus nec otium, eadem siccō quasi pede transire licebit. Deinde ex eodem fonte facile illud distinguis 2) a feudo cameræ, caneuæ & solidatae, nam cum hoc in pecunia numerata vel aliis rebus fungibilibus consistat, & hoc sensu improprium sit (§. V.), recte ab eodem secernere poteris Keminatae feendum, quod proprium est, & in rei immobilis possessione consistit (§. II. VII.), 3) nec minus tamen similitudinem aliquam & conuenientiam cum eodem quis reperire poterit, si cameræ vocabulum in sensu communi (§. IV.) explicato accipere * placeat.

* Cum enim camera pro armato, & in morem rotarum rotundato testo accipiatur, vid. SAM. PITISC. Lex. antiquit. voce: *Camera*. facile videoas, cameras etiam de lapideo ædificio s. allodiali s. feudali pronunciari potuisse, adeoque hac ratione feendum cameræ & caminatae conuenire, quam sententiam supra iam §. II. exposuimus. Notationem igitur vocabuli quid attinet, & primigeniam utriusque in Germania naturam, non magnum est discrimen inter Cameram & Caminatam; quod vero feudalem utriusque rei qualitatem & naturam concernit, feendum ædificii multum differt a feudo cameræ, de quo singularia tradunt *iura* STRVV Synt. Iur. Feud. Cap. IV. DV FRESNE

FRESNE in gloss. voce: *feudum de camera*. ROSENTHAL de feudis p. 96.

§. XIII.

Ex eodem principio percipies differentiam feudi nostri a feudo ædificii reddibili s. fiduciario, nam licet utraque sint interdum feuda ædificii, attenuamen huius restitutio a mero dependet domini arbitrio, ita ut ad eius libitum eodem cedere, ac feudum cum familia derelinquere teneatur vasallus. Nostrum autem feudum, licet feudo ædificii fere par sit, quod ad structuræ exterræ formam attinet, * proprium tamen est (§. XI. 1.), & communis lege feudali ad heredes transmittitur (§. XII. 1.), illud meræ dominii gratiæ fertur acceptum, ac quocunque tempore potest reuocari, nostrum perpetuam habet feudi naturam. **

2) a feudo
fiduciario
in ædificio
consistente

* Conf. 10. FRID. SCHANNAT in *Fuldischen Lehrhof* p. 20.

** Eiusmodi feudum ædificii dicitur quoque *ein offenes Haus*, quia domino quocunque tempore patere debet. Vestigia huius feudi in iure feudali Alamannico c. 97. Saxonico c. 29. insanes, eiusdem naturam cape ex ROSENTHAL p. 98. & tabulis variis apud DV FRESNE in glossario p. 424. allegatis. Formulam literarum inuestituræ feudi reddibilis exhibet HERTIVS de feudi oblatis p. 574.

§. XIV.

Ex altero axiome leui negotio colligitur feudi Keminatae similitudo cum feudis guardiae, ædificii, guastaldiae, castri, castrensisbus & burgensisbus, quorum singula non parvam habent cum feudo Keminatae cognationem, hinc & singula paullo curatus erunt examinanda. Feudum guardiae nimisrum hinc inde cum nostro conuenire videmus, cum enim illud haud

3) a feudo
guardiae

haud raro in loco munito consistit, cuius defensio alicui pro certo salario sicut commissa, possessionem naturalem si spectes, nullam inter guardia& Keminatae feudum inuenies differentiam, in uno alteroue videbis custodia officium, & loci muniti tutionem, si tamen eadem rite conferas, insignes mox prodeunt differentiae, nam 1) feudum guardia ex numero impropriorum est, in nostro nihil facile admittimus, quod ab ordinaria feudi natura discedat (§. xi.), adeoque porro 2) guardia feudum in loco non munito, qui castrum non est, locum habeat, nos autem ad Keminatae feudum armata te&ta tantum referimus (§. ii. & vii.), 3) in feudo guardia nuda data est possessio ac tuitio, nullum in eo competit dominium utile, quod secus est in Keminata. *

* Ex hac ratione feudum guardia annale dicit ZASIVS P. 2. de feud. conf. ROSENTHAL C. 2. §. 32.

§. XV.

4) a feudo ædificii feudo Keminad fere par est proprio (§. xiii.), nihilo tamen minus sunt adhuc vera discrimina illud inter & nostrum. Feudum ædificii habitationem tribuit, & quandoque est reuocabile (§. xiii.); Keminata vero veram possessionem ex capite domini utilis & ex natura proprii feudi (§. vii. 1.). Deinde ædificium sub lege feudali concessum & externa forma discrepat a Keminata, illud enim nullam requirit defensionem ac tutionem, hæc vero officium, tuendi, muniendi habet connexum. Illud in urbe ut plurimum locum habet, ubi feudalia ædificia in sedibus principalibus castro ipsi vicina suisse comprehendendi.

hendimus: hæ vero in pagis, locis patentibus, securitatis tuenda caufsa sunt extructæ.*

* Plura eiusmodi feuda in diversis Thuringiæ sedibus principalibus dari Illust. STRVVIVS Iurispr. feud. V. 20. *** monet.

§. XVI.

Succedit feudum guastaldiaæ, quod ipsum regendi castri alicuius officium habet annexum. Nimirum inspectio & defensio loci alicuius muniti, immo & vtilis quædam possessio & hic deprehenditur, nec tamen ideo cum Keminatae feudo coincidit. Illud enim est feudum officii, hoc in rei possessione consistit; in illo reditus vel aliud salarium assignatum vasallo conceditur, in hoc re sua feudali vtitur vasalus ex iure dominij vtilis (§. vi. & xi. 1.) illud est personale,* hoc reale.

* Id vel sola denominatio indicat, vox enim est composita ex *gaff* & *aldius*, quod in antiqua lingua Longobardica custodem & prefectum significat, quo sensu occurrit apud PAVLLVM DIA CONVM de gestis Longobard. V. 29, adde ROSENTHAL loc. cit. p. 92.

§. XVII.

A feudo castri maiori cum cura distinguendum erit feudum Keminatae, quo maior est utriusque similitudo. Ambo enim munitam supponunt domum, veram tribuit utrumque possessionem & dominium utile, iurisdictionem habet plerumque annexam, quæ in homines, ad arcem & munitam dominum pertinentes, exercetur,* & quæ sunt plura similia iura, attamen supereft insigne adhuc discrimen ob fortalitii rationem, quod maiora arcendi hostis gratia adiecta habet munimenta, quum tamen Keminatae.

C

minatæ securitas per lapides tantum vel modicum munimentum saltim fuerit procurata, & hinc, ostensa vtriusque diversa ratione, distincta quoque Keminatae & castri erunt feuda.

* In utroque videmus saepius iudicia fuisse exercita, quæ iudicia simpliciter dicuntur sedes, conf. ill. STRV VII Synt. iur. publ. p. 1045. LVNIGII Corpus iur. feud. P. III. p. 662. Illustr. KEMMERICHII Ius publ. p. 1004. inde putarim eiusmodi feuda etiam Sefslehn fuisse dicta, quod his iurestiti cum defensione castrorum aliorumque locorum munitorum & iudicis adsidere tenebantur, certe & IO. FRIDER. SCHANNAT in Client. Ful. p. 20 dicuntur Sefslehn nostra feuda, hinc ex eadem forsan ratione hanc appellationem hoc trahere malim, quam a *sedendo vel possidente*, quod aliis placuit, vel a conditionibus adiecit, quas feudi dari solebant domini, eamdem deducere. Ceterum certissimi iuris est, iudicia fessoria, *Stuelgerichte*, *kar. i. 1500* dicta fuisse sedes, postea in feudum dari confueille, quæ deinceps dicta sunt feuda sedum, germanice *Sitzlehn*, *Sieglehn*, s. *Seßlehn*. Hac ratione etiam Keminata cum iurisdictione concessa potuit degenerare in feudum iudicis, vel sedum. conf. quæ eruditæ admodum in eam rem annotata sunt a viro clarissimo, IO. PHIL. KVCHENBECKERO, Analector. Hassiacar. Collect. I. p. 333. 334.

§. XVIII.

In castrensi feudo manifesta adsunt diuersitatis iudicia. Haec enim impropria sunt 1) quoad possessionem, in iis enim nullum competit defensori ius, nuda ei datur custodia, salarium vero beneficij lege illi assignatum feudalem saltim agnoscit naturam, nostrum vero feendum vtilem tribuit possessionem, & verum est, adeoque singularia illa, quæ in illo offendimus, iura hic nullum inueniunt locum ex principio supra adducto (§. XI. 1.) 2) ratione rei ipsius, nam in

7) a feudo
castrensi.

in feudis castrenis habitatio ipsius castri loco salaria assignatur; hic vero vasallus versatur in re feudali tamquam in propria (§. vi.). Interim tamen feuda castrensis primam illis dedisse naturam, negare vix potest, qui statum veteris Germaniae accurate perpenderit (§. vii.). *

* Rationem & naturam castrensem feudorum subacti iudicij viri exposuerunt Dn. ESTOR ad Schannat p. 65. ADR. BEYERVS Diff. Ien. de feudo castrensi & IO. WILH. WALDSCHMIDT de feudis castrensis vom Burglehn Marpurgi 1727.

§. XIX.

Denique notanda est feudorum burgensium differentia. Burgum &uo Carolingico non solum loca munera, sed etiam quamlibet domorum multitudinem congregatam, non clausum oppidum vicumque denotabat. Ex quo tamen e villis regiis & castellis vrbes surrexerunt, ac in Germania frequentiores factae, castra, burgi, castella, vrribus, oppidis, vilulis fuere opposita, ac singulis propria nomina data. Antiquo igitur tempore facile innotuit Keminatae & Burgi discrimen, sed sensu recentiori plerumque conuenerunt in munita &dificii ratione, imo in utroque adfuit utilis possessio (§. xvii.). Huc igitur applicandae quoque sunt differentiae rationes (§. xvii.) propositae. Quae autem de &dibus priuatis aut &diculis dici possunt, ea omnia produnt maximum discrimen, quod inter eiusmodi burga in feudum data & Keminatae feuda intercessit, illa enim cum in casatantum consistant, & a plebe vel paganis, i.e. priuatis in feudi beneficium fuerint concessa, eo ipso quam maxime a communi feudorum natura abhor-

C 2

rent,

a feudis
burgensi-
bus.

rent, & in eo iterum a Keminata sunt distincta (§. XI. 1.), vnde etiam a nobilitate præ ceteris se se commendabunt nostra ædificia.*

* ROSENTHAL l.c. p. 98. Dicta fuere bordagia a borda s. ædibus minoris valoris, cum Keminata semper prærogatiuum structuræ & constantioris formæ habuerent (§. II. & III.) appellantur & borgagia a burgo, castro, oppido, vico, Bürgerliche Lehne, meminit eorumdem codex LL. Normannicarum cap. XXXII. §. 3. apud Illust. Dn. de LVEDEWIG T. VII. Rel. MSt. pag. 213.

§. XX.

Keminata
præsidii
causa ex-
tructæ,
adeoque
vasallo
competit
i) ius mu-
niendi &
municio-
nem refi-
ciendi.

Cum hæcce ædificia securitatis & dominii defendendi caussa sint comparata (§. II. III. IX.), & ob magnitudinem vel munimentum se commendarent (§. XI. 2.), inde facile colligas, quod securitatis maiorem in modum promouendæ causa non tantum reficiendi eiusdem ius competierit vasallo, sed quandoque etiam eidem permisum fuerit, turrita quædam propugnacula s. modicum fortalitium Keminatae adiungere, vbi tempore belli vel motuum aliorum se suosque recipere posset. * Ea tuta sæpius fuisse fugientium receptacula, & præsidii siue refugii instar fuisse habita, complura loquuntur veterum testimonia, & res ipsa satis testatur. **

* Dicitur hæc structura apud veteres ein Gadett, vid. IO. FRID. SCHANNAT in Client. Fuldenſi p. 20. Est autem gadem, gadun, gaden, camera, coenaculum, horreum. MSt. Cod. Euangeli. Dominic. Argentoratensis Rom. XIII, 13. reddit: *in gaden. Ge-gadame significat tabernaculum, cellariam, conf. Thesaur. antiquit. Germ. SCHILTERI T. III. p. 339.*

** Duco testem laudatissimum SCHANNAT in Probationibus clientelæ Fuldenſi benef. Probat. CCCXL. p. 307. ibi: *nemlich als Philips (von Hune) surwendt, das Gyse (von Hune) mit einen gespan-*

gespanten Armbrust uf dem Felde vor Hune solt entgegen geloffen
sein, und etliche mit Ime; davon sich Philipps entfessen, und wi-
derumb zum Slosi babe lauffen muessen, sich zu schirmen in die
grosse Keminaten gethan, doch keiner andern Gestalt &c.

§. XXI.

Cum igitur certissimi iuris sit, ædificia hæc at-
mata concernere priuatam potissimum possessoris
securitatem, ac cum ea ipsam tuitionem eiusdem
sub feudi lege vasallo incumbere (§. 11.111. viii. & xl.)
fides vera specialis, quæ inter vasallum & dominum
intercedit, non patiatur, vt, quod vasallo in sui com-
modum est datum, in præiudicium vel publicæ rei
vel ipsius domini directi usurpetur, inde prono flue
alueo, vasallo plane non datum fuisse, sine speciali
domini consensu, qualitatem feudi lapidei vel au-
gendi vel minuendi, bene tamen reparandi (§. xx.),
vnde porro negatam vasallo deprehendimus licen-
tiam, munitionem vel fortalitium adiectum muro
vel vallo circumdare, aut supra altitudinem præscri-
ptam (§. xx.) educere,* aut quicquam conari, quod
habitum feudi exterritum mutare possit. Nam cum ex
vniuersa feudi huius natura ac fine vbiique adpareat,
quod violentiae tantum priuata ac vagis quandoque
prædonum incursionibus eiusmodi ædificia fuerint
obiecta, inde liquido constat, quod vasalli ius, in ipso-
rum fauorem introductum, in domini vel publicæ rei
incommodum usurpare vel extendere nequierint.
Facit igitur feudalis fides ac nexus (§. vii.), quod va-
fallis eiusmodi ædes in castra, fortalitia, omnibus
munitionis, quæ militaris architectura præbet, in-
structa redigere ac componere fas non fuerit, quo

^{2) non ea-}
men extru-
endi castris
vel forta-
litii regu-
laris.

C 3

pacto

pacto nimirum postea ipsis facilis fuisset obsequii denegatio, imo contra publicam tranquillitatem quaevis admittere, prompta sibi data occasio. Tentarunt quippe saepius vasalli varia remedia, quibus Caminatas suas clientelares ampliare, vel in formam castelli siue arcis redigere possent, sed mox occurtere Impp. huic malo variis mandatis poenitibus, quibus domini directi iura fuere seruata, atque vasallis demonstratum castrum vel castrensis feudi a Keminata discrimen (§. xv. xvi.), nec a castro vel castello beneficii loco concessio ad Keminatam, veluti priuatas armatas ædes, legitimum duci argumentum.**

* Ea erat octo pedum, & fossa vplurimum cingebatur. inde quoque appellatur feuda ædificii, a quibus tamen rursus discriminanda sunt ea, qua supra §. XIII. descripta fuere, & cum & habitu & vtendi modo ab ædibus vulgi differant (§. III. & VII.) Stein-Keminaten peculiari nomine dicuntur. Qualia, teste saepius laudato IO. FRID. SCHANNATO im Fuldischen Lehnshof, plures visuntur in Abbatia Fuldenfi, & quidem in locis Borsa, Saalmunster, Geysmar, Diedorf, Geysa &c. Sic illistris gens de Boineburg cognomen suum in Borsa f. Borsa accipit a Keminata sita in Borsa, qua vetus feudum fuit gentis Buttlarieæ. v. ej. Elenchum vasallorum Fuldenium p. 53. Gibertus porro, Ioannes, Engelbertus & Caspar de Breidenbach, dicti Brandenstein simultaneæ inuestiuntur de Keminata & Molendino aliisque bonis in Salymunster, quod feendum illis obtigit an. 1564. ex parte familie de Halen p. 58.

** De hac iniuria merito inter alios questus est Henricus, Abbas Fuldenis, qui Henrici VII. Augusti auxilio implorato mandatum inhibitoriam an. 1310. impetravit, cuius verba ex laudato SCHANNATO Prob. client. Fuld. 589. dare placuit sequentia:

Querelam venerabili Heinrichi, Abbatis Ecclesie Fuldensis, Principi & Secretarji nostri dilecti, nostra inpellexit Serenitas, continentem,

tinentem, quod nonnulli nobiles, Ministeriales, vasalli & alii, quedam castra, Munitiones & structuras in preiudicium suum & Ecclesie Fuldensis ac contra Iura, Gratias & Libertates suas erexerunt & adhuc erigere & confruere non verentur, petentis super hoc prouidere de remedio oportuno: ideoque fidelitati tue committimus & mandamus omnino, volentes quatenus ea que inuenieris in preiudicium dicti Abbatis & ecclesie sue, & contra iura, Gratias ac Libertatem ipsorum circa erectionem vel constructionem castrorum, Opidorum seu munitionum, attemptata, in statum debitum studeas reuocare, contradictores auctoritate Regia cohercendo, ipsumque Abbatem & ecclesiam suam in Iuribus & Libertatibus suis circa predicta manuteneas & defendas. Datum Pysis XV. Kal. April. Regii nostri anno quarto.

An vero eiusmodi feuda communii nomine der Geslehn sine appellanda, quod doctissimo SCHANNATO im Fuldischen Lehnshof p. 20. videtur, nos equidem valde ambigimus, qui sumus in ea haeresi, quod feuda Geslehn, dicta neque ad conditionata feuda neque ad ædificia vlo modo sint referenda §. xvii.*

§. XXII.

Attamen hæc ipsa vera ratio, quod feudum castri & Keminadæ ius defendendi ædificii complectitur, effecit, vt bona domini directi venia eiusmodi armata tecta speciem & formam arcis acceperint, retento priori nomine der Keminade, ab prisca sua origine petito, vnde promiscuum feudi Keminatæ, castrensis vt & castri adpellationem inuenias, cum vnum facile alterius habitum ac iura accipere potuit. Nec haec tenus quicquam vitii hæc synonymica significatio secum trahit, modo eam ob causam discri-
men ipsum non tollas, nec ea ratione nostrum capias assertum, quasi Keminatæ nomine semper castrenia,

Quando
ius fuerit
vasallo
illud feu-
dum in
formam
castri redi-
gendi

vel

vel castri feuda sint intelligenda. * Quæ omnia ad ædificii feuda applicata esse volumus, quorum distincta supra (§. XIII. XV.) iam a nobis tradita est natura. **

* Ita quoque possessores vnius alteriusue speciei castrenses vallos, die Burgmänner adpellari videoas. Ipse SCHANNAT l. c. p. 20. haud difficitur conceptissimis verbis, illud feudum a feudo castri & ædificii vix ac ne vix quidem discrepasse, reuera tamen adfuisse discrimen, testantur ipsæ a SCHANNATO productæ probationes, ex quibus similitudinis & differentia ratio optima peti potest. in medium producam Prob. CCCLXXXII. p. 316.

Anno Domini MCCXXXVI. in die IX. milium virginum bat myn Gnediger Herrer von Fulde Apt Heinrich, Otto von Mal-koz, und sinen Vetttern, zu einer Gatzung das er yn eyne steynern Kemenaten vor dem Slos Biberten darnider gebrachen hat, und auch zu einer Besserung ires Burckleins, das sie haben zu Biberten, gegeben und zugeegnet die Wustenung genant zum Rode bie Biberten gelegen, mit dem Unterscheidt, wan die Herschaft die Wustenung wider haben wil, so sal man in davor geben firzig phunz heller, die solln sie dann wider forter anlege dem Burglein zu guhd.

In elenco yafallorum exhibetur p. 127. conuentio quædam, inter Fridericum Abbatem Fulensem ex vna, & Wenceslaum Simonem, Hermannum, & Henricum de Ludes an. 394. inita, vigore cuius Keminata s. castrum huius gentis in villa Ludes situm ecclesie Fulensi ad omnes suas necessitates debebat esse perpetuo adpertum. it. p. 119. fistuntur Henricus & Eckhardus de Kethen, quibus an. 1379. in feudum castrense deferuendum in Geyfa data fuit Keminata ibidem.

** Nobile exemplum huic rei præbet Hermannus de Buna, qui an. 1404. acquisiuit feudum quoddam in Salmunster, nimisrum curtem & domum sub hoc onere expresse in literis inuestituræ referuato, vt per easdem diu noctuque pateret vigilibus aditus ad turritum propagaculaum iuxta positum, intra oppidi muros. vid. eundem l. c. p. 6.; cui iunge, si libet, Henricum Schade de Leiboltz, qui simultaneæ cum fratre suo & agnatis inuestituram accepit

accepit eadum siue Keminatae in Leibolz, an. 1452. conf. eumdem l. c. p. 153. sed haec sufficient indicasse pro declaranda synonyma horum feudorum denominatione.

§. XXIII.

Cum vero haec feuda pro fide praestanda (§. vi.) concedantur, mutua inter dominum & vasallum inde nascitur obligatio, quam expendere omnino iuabit. Summa illa officiorum, quæ II. F. 6. cuilibet vasallo commendantur, * etiam possessoribus Keminatae conuenire, nullus nisi communis feudorum indolis (§. vi. xi.) prorsus ignarus ambiget. Vnde porro tanto magis pro ratione ac modo beneficii concessi obligatur ad seruitia militaria, fidem & tuitionem ædificii praestandam, ** quo adstructior ac perfectior est eiusdem nexus, qui cum domino directo intercedit. An vero seruitia indeterminata etiam hoc nomine sint praestanda, de eo non amplius mihi haeret dubitatio, qui cuiusvis feudi naturæ interesse, ut seruitia quævis militaria, licet eorum in literis inuestituræ nulla facta fuerit mentio, *** debeat censeo. Quod ipsum principio supra (§. xi. 1.) confirmato prorsus est conueniens. Nil tamen interesset puto, vtrum ipse vasallus huic officio faciat satis, ac ædificium inhabitet ac tueatur, an per vicariam personam, quam vulgo substitutum vocant, eo munere fungatur, in quo rursus feudi castri & castræ (§. xvii. xviii.) adstructior est ratio. Sequitur adhuc ea obligatio, qua possessor huius feudi ob fidem, qua dominus est vincitus, quacunque data necessitate caminatam vel propugnaculum eidem aperire, ac pro refugio offerre cogi potest. De alienationis denique

D

iure

Obligatio
mutua &
quidem ex-
parte va-
salli

1) ad ser-
uitia præ-
standa

2) ad fi-
dem spe-
cialiem

3) ad feudum domino aperiendum.

iure non est vt prolixius hic agamus, quum eam ex natura feudi & possessori Keminatae interdictam esse, ex §. xi. i. iam tum liquet.

* Eamdem vasallorum obligationem disertis verbis expressit vetus Poeta, GVNTHERV, Ligurino v. 608. sqq.

Publica militie vasallus munera iustæ

Non renuat, dominique libens in castra vocatus

Aut eat, aut alium pro se submittat iturum

Arbitrio domini, vel quem laudauerit ille,

Compenjet, redimatque suum mercede laborem &c.

** Illud officium, quod in feudo castrensi die Burghude vocatur, ac de quo doctissimus IO. GEORG. ESTOR Anal. ad Schannat. p. 65. conferri meretur, & hoc sibi locum vindicare, ex similitudine Keminatae & castrensis feudi dudum (§. xviii.) confirmata adparet.

*** Vide omnino I. Feud. V. XXI. II. Feud. XII. XXIII. II. F. LV, §. firmiter &c.

§. XXIV.

Officia domini eius. Cum omnis feudi fundamentum sit conuentio, adeoque mutua adsit domini ac vasalli obligatio que iura. (§. XXIII.) ac fides, videamus iam domini obligaciones, quibus itidem vasallo etiam in Keminatae feudo est obnoxius; nunc autem ob securitatem eiusmodi feuda data animaduertimus (§. vii. sqq.), inde etiam ad officia domini directi spectat, vt securitatem vasallo optimam maximam largiatur, ac omnia peragere sinat, quæ ad illam procurandam quoquomodo facere possunt, eumdem ab iniuriis & aggressiōnibus defendat & vindicet, vacuam ac liberam possessionem præstet, nec quicquam admittat, quod tuitioni ac defensioni muniti sui ædificii impedimento esse possit, & quæ alia sunt officia, quæ vi ac potesta-

potestate fidei specialis ipsi incumbunt. Cedere posse eumdem suo dominio nullus dubito, imo expectatiuam in feudo Keminatae recte dare, vel exinde patet, quod non solum hac in specie communes sint feudi castri (§. XVII.) & Keminatae affectiones, sed & dispositioni iuris feudalis Alamannici prorsus conueniat, cui adeo & nos subscribere iure meritoque possumus.*

* Conf. Cap. 136. 137. iur. feud. Alamann. ibique SCHILTERVM supra laudatum.

§. XXV.

Non est e re nostra, vt modos amittendi feudum Keminatae prolixe admodum enumeremus, cum ea, quæ de feudis in genere traduntur, tantum non omnia in his quoque locum inueniant (§. XI. 1.), vbi lectorem quoque remittimus. Illud singulare tantum attingere fas erit, an inter alias amittendi feudum Keminatae rationes iniuria pari siue conuassallo illata locum habeat? Dum enim dubium illud iuris problema in materia feudi castrensis fuerit ventilatum, & negatum a B. THOMASIO, * a scopo non alienum putarem, si & hic quoque ob cognationem, quam nostrum feendum cum castrensi vel castro habet (§. XVII. XVIII.), eamdem questionem nostram faciamus, certisque rationibus declaremus. Si igitur dicendum, quod res est, ratio prohibet, quo minus allatam rationem agnoscere queamus. Nam cum hæc amissionis ratio neque ex idea feudi fluat, neque vlo iure feudali s. Longobardico, s. Alamannico s. Saxonico de ea re quicquam cautum legamus, singularia vero non temere sine sufficienti fundamento sint

An amittatur iniuria pari illata?

D 2

admit-

admittenda, adeoque neque in feudis castrenisibus eidem locum faciant accuratiiores, ** etiam in praesenti specie non video, cur caussae amittendae Keminatae preter necessitatem sint augendae, etiam si vel in feudis castri & castrenisibus dentur eius iuris vestigia, haec enim argumenta, si genuina quoque sunt, ad nostrum genus, velut recti & veri beneficii speciem, observationis disparitatem, non erunt referenda. ***

* Est hic controversia Dd. SCHILTERI nimirum, verba juris feudalii Alamanni C. 143. urgentis, & THOMASII, cui definitio auctoris veteris de beneficiis, qui binarum caussarum saltim meminit, satis est. v. ej. Diff. ad eundem C. 47.

** Sunt enim, qui errorem ex iure Saxonico non recte intellecto in Alamannicum ius relatum existimant esse collectoris, qui vocabulum Saxonicum Tag. Dingen interpretatus est per conuenire, cum tamen saltim idem sit ac citare.

*** Vid. Dn. WALDSCHMIDT in sua *de feudis castrenisibus* Dissertatione §. XVI. qui tamen dubius haret, nec quicquam definire audet.

§. XXVI.

Si domum
non defen-
dat.

Praterea cum in feudis castrenisibus certissimi iuris sit, speciatim ob castrum non custoditum dominum ad priuationem feudi castrensis agere posse, idemque ius a Dd. porrectum videamus ad castri feuda, haec vero cum nostro non dicam similitudinem, sed vnam eamdemque fere habeant naturam (§. xvii.), idem ius ad modos amittendi feudum Keminatae adplicare fas erit, & hinc, argumento a simili ducto, eam domino dandam esse facultatem censemus, ut vasallum neglecti huius sui officii admonitus, nec tamen dicto audientem beneficio expellere possit. *

* Conf. SCHILTERVM in Coment. ad C. 143. iur. feud. Alain,

§. XXVII.

§. XXVII.

Denique cum Keminatae feudum in numero extantiorum & insigniorum sit (§. XI. 3.), nullus dubito illud inter feuda nobilia referre. omni enim tempore a maioribus & nobilissimis, nec aliis nisi meritissimis fuit datum. cum præter ea securitatem publicam pro fine haberet (§. II. vii. sqq.), cum fortalitio aliquo fuerit coniunctum, merito eiusdem dominium nobilibus tantum erit tribuendum; quale enim plebeis pacis bellique potest esse commercium sive arbitrium? denique & hic quoque a feudi castri & castris sumere licebit exemplum, quorum præstantiam & nobilitatem dudum evicerunt alii. **

An sit
feudum
nobile.

* Ita iure provinciali Saxonico expresse cantum legitur, manu miss auch keine Burg bauen, noch Stadt-Besken mit Plancken noch mit Muren, noch Berge, noch Thürme byme Dorf machen. L. III. art. 66.

** Confer in eam rem laudatum WALDSCHMIDT Dissertat. cit. §. X.

§. XXVIII.

Qui secus ineunt suas rationes, in conceptu feudi nobilis nobiscum non conueniunt; illud enim feudum nobile tantum adpellare solent, quod dignitatem habet annexam, dum vero neque in nostro, neque in aliis, veris quoque militum feudis eam semper inueniant, cum consensu plurium Dd. ea omnia pro ignobilibus habent,* quæ tamen sententia mihi videntur abhorrire a genuina feudorum natura. Certe nobilitas & ipse nobilis titulus adeoque & ipsum feudum nobile sua habuere fata, quæ tamen persequi

D 3 non

non vacat. ** Nobis autem, cum feudum nobile illud sit, quod nobilitati fuit destinatum, nobilique a domino territoriali ob seruitia militaria conceditur, merito nobilis prædicatum & Keminatae feudo erit tribuendum, siue primigeniam siue hodiernam eius spectemus naturam. Nam si pro rei conditione ad alios quoque translata dicas eiusmodi feuda, ad accidentalia id referri potest, de quibus tamen constat, quod non mutent naturam rei propriani.

* Conf. auctor Iurisprudentiae heroicæ, f. de iure Belgarum circa nobilitatem & insignia Bruxellis, 1666, vbi plurimorum Dd. veterum sententiam negantem videbis explicatam.

** In quibus exponendis iam desudauit illustris ab EYBEN in peculiari tractatu, quem adiisse iuuabit.

S. XXIX.

Quia feudum nostrum maius est ac nobile (§. xxvii.) pronam inde deduco consequentiam, quod is demum hoc feudum concedere possit, qui iuribus maiestaticis & summis gaudet. Hoc igitur pacto, cum eiusdem concessio supponat & inuoluat quasi ius extuendi, modicum licet, fortalitium (§. xv. xvi.) tutio porro ac fortalitii defensio ad iura belli pacisue quodammodo pertineat (§. xxviii.) insignis exinde oritur feudi Keminatae prærogativa, quod nulli nisi Imperatori ac Imperii ordinibus, qui hoc iure veluti proprio sunt instruti, concessiones huius generis feudorum sint tribuenda, * ab aliis vero non nisi speciali priuilegio accedente, quo ius aliquod muniendi est concessum, exerceri possit. Et sic habes nouum aliquod pondus, quo sententia §. xxvii. & xxviii. stabilita confirmari possit.

* Fun-

* Fundamentum huius iuris Ordinibus competentis est summa iurisdictio ac ius maiestati proximum, quod superioritatem territorialern alii vocant; prius enim quam ea iustas accepisset vires, instar privilegii huic illiue principi ius castri vel monumenti extrudi fuit concessum. historiam summi huius iuris docet HERTIVS de Superioritate territoriali §. 19. vbi in ea rem & Imperii LL. fundamentales explicat.

§. XXX.

Dum ea feuda summa & maiora adpellauimus
 (§. XXVI. XXVIII.) seruitia desiderabunt procul du-
 bio exacta & singularia. Concurrit & aliquod pacis
 bellie arbitrium (§. XXVII.), quae omnia nobis in-
 dicio sunt ac documento, probatissimis saltim iisque
 meritisimis solis debere dari. Quod firmat constans
 quoque dominorum consuetudo, qua viris de re-
 publica & ecclesia optime meritis, ac probata demum
 morum integritate hæc data videmus. Ere enim
 erat domini, vasalli ingenium probe habere cogni-
 tum & perspectum, cui dorsus munita cum armo-
 rum iure ac exercitio erat tradenda. Fallaci enim
 huius fide ac saltim dubia, qui securitas publica
 potuit committi defendenda ac tuenda illi, qui
 armis ipsis patriæ ac reipublicæ minatus fuerit
 damnum? Declarauimus iam supra (§. XXVI.) pri-
 marium vasalli officium in defensione ac tuitione
 lapideæ illius domus consistere, quo ipso, cum sine
 insigni artis bellicæ peritia, circumspectione ac
 præmititudine nemio posset fungi, res ipsa dominos
 cautos esse iussit, ne publica res per festinatam eius-
 modi concessionem caperet aliquid detrimenti.*

Personæ
accipiens.

* Sicuti Abbatia Fuldensis insignem Keminatarum numerum exhibet, ita in iis singulis obseruarunt scriptores, & hæc omnia feuda

non nisi viris de ecclesia Fuldenſi optime meritis fuisse collata, testimoniū & hoc loco duco IO. FRID. SCHANNAT im Fuldischen Lehnshof pag. 20,

§. XXXI.

Traditio
feudi qua-
dam moneamus, quum & hic ob singularem eius
nam &
quotuplex. qualitatem singularia quædam obseruauimus iura.
Ipſam vero traditionem in voluntate domini traden-
tis vna ſolaque eſſe ſitam, res ipſa loquitur. conſtat
vero ſatis de mente promittentis, ſi de re ſua in
alium transferenda ſe declarauerit. hæc declaratio
autem fit vel verbis l. factis. primam dicimus tra-
ditionem expreſſam, alteram tacitam, cui & fictam
ſ. ſymbolicam ſubiiciimus. utraque hic locum habet.
Circa priorem communia & hic tenemus iura, nam
quod eam attinet, etiam hoc loco diſpiciendum eſt,
vtrum traditio fit promiſſa an vero adimpta; inde
enim nascitur diuersum ac duplex ius, & cum eo
diſtinguitur quoque ac diuerſa prodeunt iuris remedia;
ſed rædet hæc ab aliis vel centies proposita rurſus
exponere, quum hæc iam docuerint ſystematum
auctores.*

* Vid. STRVVI Synt. iur. feud. C. XVI. Aph. 3. n. I. & HORN
Iurisprud. feud. XXIV. 14.

§. XXXII.

Symbolicam traditionem eam adpellamus fo-
lennitatem, qua dominus vasallum figurato aliquo
facto feudi poſſefforem declarat. Symbolorum uſus
in omni Iurisprudentiæ parte eſt maniſtissimus
eorumque examen ſua non caret uitilitate.* Huius
rei perſpicuum quoque præbet exemplum feudalis
Iuris-

Jurisprudentia, vbi dominos & hic quoque in tradendo Keminatæ feudo peculiari quandoque schemate vsos fuisse deprehendimus. nimurum eorumdem inuestitura per symbolicam *clauium* traditionem celebrari solita fuit. cuius rei rationem sequentem esse putamus. claves sane custodiæ curæue signum sunt, iisque datas esse liquet, quibus cuiusdam rei tuitio ac dominium concedi solet; officium autem vasalli dum in custodia & conseruatione munitæ suæ domus beneficiariæ consistat (§. xx.), adeoque ob id ipsum singulare habeatur huius feudi pretium ac prærogatiua (§. xxxix.), mirum sane non est, quod domini vasallos officii sui vel hoc schemate monere voluerint, fideique suæ memores esse iusserint, ad huius igitur præscriptum castrí ædificiue defensionem exercendam esse, eo ipso fuit indicatum.**

* Vide in eam rem Ictum priscis parem *EV. OTTONEM* in absolutissimo de Iurisprud. symbolica tractatu Traiecti ad Rhenum 1730.

** Idem quoque obseruauit in feudi Keminatae Fuldensibus multo cum elogio nobis compellandus *IO. FRID. SCHANNAT* in clientela beneficiariæ Fuldensis p. 20. ac in eam rem adfert probationem ex vet. Reg. curiæ feud. quam addidisse iuuabit; verba eiusdem sunt sequentia: *Die von Hune haben in Überantwortung ires Sloss und der Kemnaten mynen gnädigen Herren von Fulde abey übergeben zwey Schlüssel, die hat man in Vollendung des Burgfridens Inen wiedergeben, praesentibus Simon von Gortz, Albert von Trubenbach, Melchior von der Tann, Dietrich von Ebersberg &c. dasselbs überantworten ist gescheen zu Hune auf Galli. Anno MCCCCXCVI.*

§. XXXIII.

Denique & illud in traditione siue inuestitura Coram
huius feudi est notandum, quod coram paribus cu- paribus cu-
riæ fuerit celebrata, vt nimurum publicum extet ria fuit ce-
lebrata.

E pro-

promissæ fidei monumentum,* id quidem in aliis feudorum speciebus obseruatum esse, non negamus, non tamen omittendum diximus illud singulare punctum, quod illud ipsum ad pretium ac dominorum peculiarem sollicitudinem, quam circa haec feuda habuere, euincendam non minimum addere possit argumentum. Eadem ratio dominis quoque suscit, ut vasalli praesentes, corporaliter feudi inuestituram suscipere debuerint, scilicet *liplich und mit bandgelobenden Truwen*, sive *mit hand und mit monde*, als der Leben recht ist,** a quo rigore non facile remisere domini, nisi vnum alterum ex singulari gratia a necessitate comparitionis personalis liberauerint.

* Id quod de omnibus feudis Fuldenibus, adeoque & nostra specie conceptissimis adserit verbis IO. FRID. SCHANNAT im Fuldischen Lehnhof p. 33.

** Id circa feudum Keminatae s. ædificii muniti præcise fuisse obseruatum, testantur literæ inuestituræ a Friderico Abbe Fuldeni nobilibus ab Ertal datæ, quas, cum superius adducta mirum in modum illustrant, hic inserere operæ videtur pretium. exhibet autem illas modo laudatus SCHANNAT Probationibus Clientelæ Fuldensis p. 290. *Wir Fridrich von Gots Gnaden, Apt zu Fulde bekennen ofnlich - - das wir angefehen haben getruwen und flissigen Dienst den uns der gestrenge Dytzel von Ertal unser lieber Getruwer gehabt - - irleuben furhengen, und gunnen, das der obgenannt Dietzel und sine Erbin mugen ire Husunge Gaden zu Ertal, als das itzund steht uf einen Steinhus gebuwt, furbas buwen, und besitzen, und bevesten vor Storm, vor Gewalt und zu Were, als sie erkennen uns und unsfern Stift und in selbis zu nutze un zu gut ane Arglist wan auch wir oder unsre Nachkommen und Stift erkennen, das sie dieselben Husunge und Buwe zu Note und Were veslich gang hettin bewart und gemacht, so fulden sie dan furbas kein Bevestenunge me daran legen - - auch sollin der obgenannt Dytzel und sine Erbin, mit der egeschrie-*

egeschrieben Husung, Buwe, und Veftenung, als sie auch von uns und unsern Stiefe zu Leben ruren, und als sie auch des zu Rechte pflichtig und verbunden sin, wider uns und unsre Nachkommen ewelichen nümmer getun, fandern dieselbe Husung, Veftenunge und Buwe sollin uns, unsern Nachkommen und Stiefe ewelich offin sin, und damit gewarte als digke, und wan uns Noit iß kein allirmenglich, und als uns auch der megenant Dytzel und sine Sone, liplich und bedachtlich, alliz mit iren Hantgebenden Truwen gelobit han &c. Idem Fridericus testatur in literis inuestituræ Wolframo ab Ortheym datis an. 1387. eumdem corporaliter præstissime iusurandum, ibi enim: *als das Wolfram itzunt alles liplich und geinwerticlich fur sich and sin Erbin in Truwen gelobt.* vid. eumdem SCHANNAT l. c. p. 324.

§. XXXIV.

Hæc erat indeoles ac natura feudorum, hinc inde
collectorum, quæ omnes propriam ac communem
tenuere naturam. Iam in ipsa Thuringia figimus
pedem, vbi Keminatas haud raro occurrere, nemo
ignorat. dedimus iam supra §. vi. singulare aliquod
exemplum; sed saltim in transitu. nunc autem in-
dicare licebit, in iis Thuringia Keminatis nihil fa-
cile reperiri, quod a communi feudorum natura
recedat, adeoque eadem in censu priorum esse,
nullus ambigo, quæ igitur §. xi. & xii. monuimus,
perpetuam habebunt adlicationem, dum neque in
successionis modo, neque in reliquis affectionibus
quicquam in iisdem mutatum deprehendimus;
Exempli loco hic subiicere vacat literas inuestituræ
ob Keminatam Reinstedt a Serenissimo Altenburgensi-
um Duce FRIDERICO WILHELMO, Ioachimo Er-
nesto a Beuß datas an. 1663, testimonium assertorum
expressissimum exhibentes:

De Feudo
Keminatae
Thuringi-

Von Gottes Gnaden, Wir Friedrich Wilhelm, Herzog zu Sachsen, Jülich, Cleve und Berg ic. bekennen und thun kund gegen männiglich, daß wir den Besten unsern lieben getreuen Joachim Ernst von Beust zu Langen-Orla und seinen recht gebohrnen Männlichen Leibes, Lehns, Erben den dritten Theil dieser nachfolgender Güter, Dörfer, Lehne, und Zins, uns zu Lehn rühvende, nemlich des Dorfs und Guts zu Reinstedt mit allen dessen Ein- und Zubehörungen, an Haß, Hof, Scheunen und Ställen, so zu diesem dritten Theil gehörig, und bisshero dazu gebrauchet worden, zusamt dem Umfange, insonderheit an dem Dorfe Rödelmisch auch den Gerichten Obersten und Niedersten in Dörfern und Feldern, Behausungen und Zubehörungen, Gebäuden und Räumen, Item im Dorf Drösenitz an eklichen Zinsen, item an fünf und zwanzig Acker Art Lande, dazu den Ackern auf dem weisen Berge ic. Reichen und leihen gemeldtem von Beust und seinen rechten ehelich gebohrnen Leibes, Lehns, Erben besagten dritten Theil an obermeldtem Gut und Dorfe Reinstedt mit der Behausung und Kemnotten, samt der zugehörigen Hoff, Gebäuden und Räumen, wie solche vor dessen zu diesem dritten Theil abgetheilet und geschlagen worden, sowol an den zweyem Dörfern Rödelmisch und Drösenitz mit Ober- und Nieder-Gerichten im Dorfe und Felde, Fluere und Behausunge, wie obsteht, auch allen und jeglichen Leuten, Gütern, Zinsen, Geschossen, Renten und Gulden, Zöllen, Lehen, Backszen, Schaaf und Vieh, Triften, Gehölze, Ackern, Wiesen, Weinen bergen, Gütern, Frohnen, Diensten, Gerichts-Buesen, Lehnwahr, Gerechtigkeiten, Gebräuchen, Freyheiten und allen andern Zu- und Eingehörungen, nichts ausgeschlossen, hiermit gegenwärtiglich und gnädiglich, Solchen dritten Theil hinführ von uns, unsern Erben und Nachkommen zu rechtem Mann, Lehren zu empfahen, zu besigen und zu geniessen und zu gebrauen mit zweyen gerüsteten Pferden, benebnet deren Besitzer der andern zweyen Dritttheile solchen Ritter-Guths und Zubehörungen, zu verdienen, den Lehn auch so oft die Zufälle kommen rechte Folge zu thun und sich sonstens allenthalben darvon

zu

zu halten, als Mannlehn-Güther Recht und Gewohnheit ist ic.
Zu Urkund mit unsren hieran gehangenen Innseigeln wissendlich
besiegelt und geben zu Altenburg nach Christi unsers lieben
Herrn und Seeligmachers Geburt im Sechzehn hundert
und drey und sechzigsten Jahr am eissten Monath's Tage
Novembris.

§. XXXV.

Ex hisce omnibus satis confirmata esse puto,
quæ de genuina feudorum Keminatæ natura propria
haec tenus asseruimus. Dum autem literæ inuesti-
turæ omni feudorum generi impro prietatem quam-
dam conciliare possint (§. xi. 1.), idem & feudo no-
stro accidisse, manifesta loquuntur documenta. Inde
est, quod Keminatæ mox hereditariam acceperint
formam, mox feudis castrensis fuerint annume-
ratae (§. xviii.), mox in censuala degenerauerint, &
quæ sunt alia, in quibus ab ordinaria beneficiorum
forma discessere. haec autem singula curatius erunt
expendenda, dum plura in eam rem inuenimus mo-
menta, quæ omnia iusto examine digna videbantur.

Fendorum
Keminatæ
natura im-
propria.

§. XXXVI.

Quamplurima feuda Keminatæ hereditaria
fuisse, testantur tot documenta & literæ inuestituræ
hinc inde obuiæ, quibus feuda ad sequioris sexus
personas deuoluta, in dotem data per feminas & in
feminas translata esse videmus. Vbi singulare fere
in feudis Keminatæ ecclesiasticis offendimus illud,
quod in feminas plerumque fuerint transmissibilia,*
ibi enim exempla reperi feudorum dotalium,** in
forores transmissorum,*** a cognatis acceptorum.****
Quæ omnia, hereditariam successionem ab eiusmodi
feudis non esse prorsus alienam, sed potius commu-
nem fere, satis euincunt.

Feuda Ke-
minata im-
propria
i) ratione
successio-
nis.

* Feuda ecclesiastica plerumque esse feminea, & feminarum successionem iisdem esse quasi propriam, in eoque Colonienstia & Fuldensia feuda præ ceteris eminere, plenius deduxerunt WERN. THVMMERMVTH in Tr. Krumstab schleust niemand aus & Dn. COCCEIVS in pecul. Diff. licet in alia omnia IO. FRID. SCHANNAT in Curia feudali Fuldensi & ZIMMERMANN Ictus Hildesiensis in singulari scripto habet tit. Ößnisscher Krumstab schleust die Weiber aus abeant. nos autem non dubitamus, eruditis monitis IO. GEORG. ESTORIS ad Schannatum p. 63, datis subscribere, in quam sententiam nuper quoque concensit Dn. IO. PAVL. KRESSIVS in Diff. sing. ad prov. mit S. Peter ist gut handeln.

** Feudorum dotalium complura exempla recenset IO. FRID. SCHANNAT. sic Probat. Client. Fuld. p. 85. adfert exemplum Elizabethe filiae Casparis a Breidenbach, quæ pro dotali feudo habuit Keminatam in Saalmünster. Alexander ab Huttent Stecklenberg, prouassallus vxoris suæ inuestitur de portione feudi eius dotalis, Keminata scil. in Dipperts, referente eodem p. 116. Exemplum Keminata per feminam in filios transmissæ idem exhibet p. 82.

*** Vide exemplum Craftonis Schade de Leiboltz, qui Keminatam suam an. 1575. in forores suas transmisit, apud SCHANNAT l. c. p. 153.

**** Sic Sigismundus a Peterwalt, tam suo quam cognatorum nomine inuestitur an. 1669. de feudo, nimurum Keminata in Leiboltz, cum suis attinentiis teste eodem p. 136.

Rationem pinguioris huiusmodi feudorum conditionis manifestam eam esse duco, quod ædificia maiora ac armata castris ac munimentis, mox quoque ipsi feudo suam dederint naturam (§. VII. VIII. IX.), ea autem ædificia, cum haud raro ecclesiis aliquique potentioribus in feudum oblata fuerint, promiscui sexus successionem aut stipulari sibi vasalli, aut vltro in præmium oblati dominij promittere potuerunt eccle-

ecclesiarum antistites. ecclesiastis vero maiorem semper numerum vasallorum aluisse, certissimum est. sane ratio eorum temporum ea fuit, ut vasallis ecclesiasticis, veluti sanctioribus, maior haberetur honor, quibus nullus facile iniuriam intulerit, qui non diris praefulis Romani excommunicationibus obnoxius fieri, sacrisque omnibus interdictus, commercio bonorum omnium excludi voluerit.

§. XXXVIII.

Feuda castrrena a feudis Keminatae quodammodo discrepant (§. xviii.), quodam modo cum iis conueniunt (§. vii.). Ergo si feudum Keminatae ad sit proprium, cum castrensi nullo modo poterit conuenire (§. xviii.), si contra conueniat (§. vii.), semper impro prium sit necesse est. Igitur si feuda Keminatae cum castrenis comparata videoas, illius singularis qualitatis rationem ex literis uestituræ dabis, quotiescumque enim Keminatae cuiusdam nuda defensio, exclusa omni possessione sub clientelæ vinculo alteri fuit concessa, toties ad impro prium feudi genus erit referenda.*

^{2) ratione}
possessionis

* Conf. Dr. WALDSCHMIDTI Diff. de feudis castrenis & SCHANNAT in Probat. Client. Fulda, vbi Henricus & Eckhardus de Kethen fratres accipiunt an. 1379. *in feudum castrense* deleruendum Keminatam ibidem p. 119. porro genti nobili a Slochter f. Sluchter an. 1381. melioratum fuit *feudum castrense*, quod possidebat in Stoltzenberg deleruendum, apud eumdem pag. 153.

§. XXXIX.

Licet alias feuda ob seruitia militaria sint concessa (§. vi.), adeoque extra ea nihil quicquam oneris vasallo imponi possit a dominio illius, attamen & Keminatae feudum in eo quoque haud raro a communi feudo.

^{3) ratione}
census

feudorum īdole deflexit, vt de iis certa pensio loco seruitiorum, imo etiam præter ordinaria seruitia, fuerit soluta. Vnde & hoc singulare non facile citra expressam conuentionem aut literarum ineſtituræ tenorem erit admittendum (§. xi. 1.). Illud ipsum tamen pactum, cum naturam feudi essentialem non mutet, non temere erit reiiciendum, sed & hic partes contractui ac placito, quod sibi semel legerunt, iure meritoque inhārebunt.

* Hoc loco subiicere in eam rem licebit vnicum exemplum, ex sèpius laudato IO. FRID. SCHANNATO l.c. p. 82. Keminatæ nimirum Wolkenhusensis ex duplice ratione feudi improprii tum ob feminineam successionem, tum ob censum XVI. grossorum in singulos annos Abbatii Fuldenſi soluendum.

§. XL.

De Kemi-
nata cen-
suali
Aquensi.

Non solum autem vasallus interdum ad certum censum soluendum obligabatur, sed & fuere Keminatæ, quibus extra ordinem competiit ius, certum censum a possessoribus vicinorum prædiorum exigendi. Id suo exemplo probat Aquensis ciuitas in Ducatu Magdeburgico sita, in qua extitit Keminatæ feudum, a Friderico R. E. Cardinale & Episcopo Osnabrugensi nobilibus de Kalitsch beneficij lege concessum, nouissime autem ab Augusto iuniore an. 1663, in Ludouicum a Kalitsch translatum. Insignia fuere huius Keminatæ priuilegia, ac inter cetera eiusdem possesseores nummum aliquem tributarium ab dominis ædium vicinarum sub miris quibusdam solemnitatibus colligere consueuerant.*

* Locuples testis esse poterit BECKMANN in der Anhaltischen Historie P. III. p. 195. adde M. LAVDA DEVVM VALERIA- NUM BRVNONEM in der Beschreibung der Stadt Acken C. VI. p. 31. §. 15. cuius verba paucissimis beneuolo lectori communica-

nicabimus: Es hat auch vor Alters dieses Keminat die Freyheit genossen, einen sogenannten Frohnen-Pfennig jährlich einzufordern, wie meines Wissens noch an S. Thomä Tage zu Kalbe, Edthen, Quedlinburg u. s. w. zu geschehen pfleget, welcher Frohnen-Pfennig allhier in einem Zwier bestanden und von allen Echhäusern müssen gegeben werden, dergestalt, daß eine hirzu verordnete Person auf einen gewissen Tag in der Stadt Gassen herum geritten, und ausgerufen: Gebet meinem gnedigen Herrn den Frohnen-Pfennig! wo bey man im vorbereiten alsbald hat müssen parat seyn, weil derjenige, der seine Pflicht nicht abgesattet, sein Haus verloren; welches Festin und alte Rechte bey des Herrn Ludwig von Kalischens Zeiten, wegen entstandenen Krieg-Troublen und andern Ursachen eingesetzet worden.

§. XL.

Excussis singularibus iuribus, quæ in omni Keminatae feudo sive proprio sive impropio obseruatum ad communem progredimur aliquam animadversionem, qua quodus Keminatae feudum in dotalitium constitui posse auctoritate plurium exemplorum comprobatum dare nobis proposuimus. Nam cum dotalitii ius, veluti temporarium ac vfructuarium, dominii effectum ac iura non mutet; nec domino directo neque adgnatis vllum adferat preiudicium, inde facile liquet, cur in Keminatae feudo sive proprio (§. xi.) sive impropio (§. xxxv.) locum habeat, neque in vno alteroue casu feudi naturam vel minuat vel augeat. Facile igitur reddideris rationem castrorum ac lapideorum ædificiorum clientelarum viduæ nobili in dotalitium datorum, quibus in præmium illatorum ad dies vitæ utriusque ac frui potuit. Hoc autem sæpius in Keminatae feminea* æque ac masculina vsu venisse exempla probant.**

F

* Extat

- * Extat in eam rem exemplum Georgii de Sluchter, qui an. 1442. obtinuit renovationem inuestituræ Keminatae in Soden & Salmunster ac super iisdem constituit an. 1460. vxori sua Margaretha nata ab Aphausen dotalitium 110. Floren. de consenu Abbatis Fuldenis. conf. exempla ex laudato 10. FRID. SCHANNATO §. XXXVI. ** adducta.
- ** Fit quoque mentio dotalitii in castro & Keminata Tonnaensi Agnetæ Comiti Honsteiniensi ab Adolfo, Comite Glicheni constituti a CASP. SAGITTARIO in der Historie der Grafschaft Gleichen L. I. C. 15. p. 159. seq. cuius verba subiucere e re nostra videtur: Im Jahr 1434. wurde eine Heyrath abgeredet und beschlossen, zwischen Graf Adolphen von Gleichen und Frau Agnesen, gehörner Gräfin von Honstein, Gr. Friedrihs von Beichlingen sel. (der in der Schlacht vor Alzig blieben) nach gelassenen Wittib. Derer von dem Grafen von Beichlingen zur Mitgift verordnet worden 200. Mark Silbers, bey Günthers von Morungen Erben haftend, dagegen beleibdingte Graf Adolph Frau Agnesen wiederum mit 400. Marken, die Sie solte zu gewarten haben an der Keminaten auf der Burg zu Thonna, an Dörfern, Weingarten, Gehölzen, Wiesen, Weiden, Rennthen, Zinsen &c. so viel nemlich besagte Haupt. Summa jährlich austragen möchte &c.

§. XLII.

De Kemi-
natis allo-
dialibus.

Hæc fuere, quæ circa feudalem Keminatarum naturam indicare nobis potissimum incumbebat. Iam vero cum lapidea ædificia & armata tecta huic feudo dederint nomen (§. II. vii.), de iis adhuc agendum erit Keminatis, quæ allodialem seruarunt naturam, nec in feudi speciem abierunt. Has autem profani & sacri usus caussa sèpius ædificatas esse inuenias. Illæ quidem cum facultatum ac potentiae copiam exegerint (§. II.), non nisi a ditioribus ac felicioris fortunæ hominibus extructæ fuere, vnde tantum natum fuit ædificiorum pretium ac honor (§. VIII.)

(§. VIII.), ac plerumque in terris hereditariis ac vicis, publicæ potentiorum offensioni expositis collocatae (§. XV.). Paullo post tamen oppidis vrbibusue ornamento ac decori externo inserture lapideas domos exiftimarunt veteres, quum aduersus ignem aliae pericula securitatem præstarent haud contemnendam.* Exempli loco proferre licebit vrbem Seruestanam, cuius præcipua quædam portio vocatur die Stein-Kemnate, cuius adpellationis originem ducunt a maiori quadam lapidea domo, quæ in vicinia olim extiterat, eam in varias quoque partes, Caminatas dictas fuisse diuisam singulasque suis dominis fuisse applicatas ex rerum monumentis, quæ adhuc super sunt, constat. **

* Lapidea structuræ rationem fuisse admodum raram & caram euincunt tot veterum monumenta, quibus iisdem singulare aliquod tributum est elogium; ita quævis ædificia lapidibus armata lapidea κατ' ἔξοχον dixerat. porro in singulari apud veteres pretio posita videamus lapidea balnea, quæ lapidea stupas vocarunt. laudabo saltim BECKMANNVM, in der Historie des Fürstenthums Anhalt III. Th. II. V. I. Cap. p. 195. qui meminit tertia partis de lapidea stupa ad an. 1345. duas partes lapidea stupa adducit ex diplomate an. 1357. curiam denique circa lapideam stupam &c.

** Idem BECKMANNVS l. c. vestigia huius prisci ædificii indicat sequentibus verbis: Es ist auch eine Gegend, so Stein-Kemnate geheissen wird, davon zu wissen, daß daselbst ein großes steinerne Haus gestanden, so auch absonderlich domus lapidea genannt worden, wie man dann noch in den Gärten der Gegend unterschiedene dicke Mauern in der Erden, auch ein Stücke Mauerwerk, worauf ein Gartenhaus steht, ingleichen einige lange steinerne Pfeiler in den Wänden der Gärten findet, welches alles noch Reliquien von diesem Hause seyn. Idem quoque commemorat exemplum pistrinæ circa lapideam domum, vnius Keminatae in lapidea domo, vnius Sollarii super Keminatam & cellarii in lapidea domo Kerstin Kinen Uxori Ioannis Bukowen a Kune Bukowne dati an. 1333.

§. XLIII.

De Kem-
natis allo-
dialibus
sacris,

Imprimis securitati suæ etiam in hac caussa præcaue-
runt ædificiorum sacrorum conditores, quibus nec argen-
ti nec opulentia copia defuit. Fuit & insignis eorum tem-
porum superflitio, ut templo, quo ornatiora & magnificen-
tiora, eo gratiore diuino numini haberentur & salutis æter-
nae remedium existimaretur, si quis ampliores ædes diuino
cultui destinasset. Lapidum igitur structuram & hic ad-
hibuisse utilitas pii corporis exigebat. Verum enim vero
non contenti fuere simpliciori lapidum structura, mox
murus ac fossis ita circumdedere monasteria & ecclesiæ, vt
recentiori æuo cum castro munitissimo certare potuerint.
Hinc iure meritoque Kemnatae vocabulum iisdem, sensu
§. II. VII. VIII. descripto, tribui potest.* Quandoque ad splen-
dorem & pompam ædibus suis conciliandam laicis poten-
tioribus suaerunt clericci, vt non conderent solum eiusmo-
di grandiora ædifica & collegia, sed & redditus iis assigna-
rent, quibus ædium eiusmodi habitus conseruari & augeri
posset. Vocarunt deinceps illa ædifica sacros lapides, san-
ctas monachorum caminatas.**

* Ex eo fonte fluxisse putarem tot tantaque nomina monasteriorum, quæ omnia
Kemnade fuisse dicta. Sane nulla monasteria Kemnade dicta esse repertis, quæ
non per structure singularis ratione lapidumque iunctionem cuilibet adspic-
ianti se se obtulerint. quod diximus, de monasteriis famineis sequæ ac mafcu-
linis recte adseritur. Datur Monasterium Kemnade in Principatu Mindensi-
tum cuius literas tutelas a Conrado II. Imp. a. 1026, d. 6. Febr. datas exhibe-
t LEVCKFELD in Antiqu. Halberstad. p. 384. & SCHATENIVS in Annal. Paderborn. p. 467. Memorabilia quoque ecclesiæ Kemnaden ad diœcesin
VValckenriedensem spæcantis exponit modo laudatus LEVCKFELD in antiqu.
VValckenried. p. 160.

** Huius rei manifestum testimonium exhibet Otto, Prínceps Anhaltinus, qui
an. 1309, ædes Aschariensis donauit lapidi sancti Michaelis (dem Kloster Mis-
schenstein). vide Diploma apud BECKMANNVM in der Anhaltischen Historie
V. 2. 3. p. 77. ibi: de consensu heredum nostrorum, presentium, & futurorum
contulimus Abbat & Conuentu lapidis sancti Michaelis curiam in ciuitate
premissa &c. de Monasterio Kemnade Goslarensi vid. SCHATENIVM l. c.
P. 422. 423. addit. exempla §. II. iam adducta.

§. XLIV.

Quo mo-
do compe-
nit autem priuatis datum sit ædes suas domosue
ornare ac firmare ad libitum, adeoque lapideam structu-
ram

ram nemo prohibeat adhibere (§. II.), attamen cum non omnes Keminatas lapideas solum fuisse videamus (§. VII. & IX.), quare hoc loco omnino possit, an ius competierit cuius domino Keminata suam omni iure alias liberam modico circumdandi fortalitio, cuius questionis decisio non absque distinctione expediri potest. aut enim eiusmodi dominus præter commune dominium aliis iuribus supremis, maioribus ac nobilibus gaudet, aut nudam habet ciuilem Keminata possessionem. Sin prius, nullum video obstatum, quo minus eamdem facultatem inter cetera iura sublimia & potestatis supremæ exercitia etiam domino allodialis Keminata tribuam; nam cum ea in vasallo legibus feudalibus & fidei adstricto procedat (§. VIII.), eo magis eodem iure gaudebit alius nulli alieno iuri obnoxius. posterius autem si tantum species, priuato, qua priuato, negata sunt pacis bellique arbitria (§. XXIV.), vnde nullum vñquam exercere poterit ius, quod vñtra personæ suæ qualitatem adsurgat.

§. XLV.

Cum tamen Keminatas sacras videre liceat, quæ non solum ornamentis & structuræ arte ac excellentia nulli priuato ædificio vel sedi regiæ quoque cedunt, sed etiam a præsidiorum ac munitamentorum copia ita sunt instructæ (§. XLIII.), vt iura defensionis pleniori modo exercere valent, quo medio, quaque æquitate hoc sibi arrogare potuerint, coronidis loco disquiremus. Meo iudicio cum ecclæsia sit societas cultus diuini caussa societa, eadem cum externis rebus, imprimis quæ reipublicæ sunt, nullum habebit commercium, nec indiget vlla pompa aut ad sui defensionem ciuilia arma desiderat. Hoc igitur stante principio inane duco veterum studium, quo per pretiosas ædium sacrarum extinctions opus Deo gratum se exhibere crediderunt. Hoc deinde arbitrium magis magisque extenderunt ecclesiistarum & monasteriorum antistites, donec ipsa supremæ potestatis iura in suis Keminatis exerceant ac securitatis præmouendæ caussa munimen-

tierit præ
uatis
ius mun-
endi lapi-
deam do-
mum.

Qua ræ-
tione id
concessum
fuerit in
Keminatis
sacris.

46 DISSERT. IN AVG. IURIDICA DE FEVDO KEMINATAE.

ta iisdem adderent, præsidia alerent aliaque summi pacis & belli iuris arbitria adfectarent, quæ, si nunc non sine summa Principum indulgentia sibi competere affirmare queant, eosdem iurium supremorum usurpatores recte dici posse existimarem. In Germania nostra cum iura extruendi castra vnicæ a maiestatico iure vel huic proxime accedente territoriali superioritate dependeant (§.xxvi.), nulli sacro ædificiorum inspectori ac domino hoc ius erit tribuendum, qui non Ordinis vel Status iure gaudet. reliqui vero communibus ac regularibus Keminatae iuribus tenebuntur, quibus nec reipublicæ nec maiorum vasallorum prærogatiwas etiam hoc in puncto sibi adserere est permisum.

§. XLVI.

Epilogus. Hæc fuere, quæ circa Keminatarum iura monere voluimus, quarum exempla plura adhuc in antiquitatum germanicarum monumentis occurrentia cumulare potuissimus, nisi temporis & otii ratio nobis fuisset impedimento, quo minus absolutior prodire potuerit nostra elaboratio. crediderim tamen potiora momenta circa feudorum Keminatae naturam tam propriam quam impro priam fuisse a nobis explicata, quibus expositis allodialem quoque lapideorum ædificiorum qualitatem non proorsus intactam reliquimus. Interim tamen corrigenda, addenda, supplenda quædam, si quis deprehenderit, ab errore nos cum reliquis alienos non esse considerabit æquis rerum censor, imo promptissimos habebit ad meliora quævis amplectenda, qui perfectissimum omnibusque numeris absolutum opus virium ac temporis inopia exclusi suppeditare nequivimus. Postremum vero nostrum est officium, ut diuino numini pro largissimo, quo nobis adfuit, auxilio gratias feramus debitas maximasue, cui &

porro negotia nostraque omnia precibus desi-
deratisimis commendamus.

S O L I D E O G L O R I A

Jena, Diss., 1734-35



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

FAVENTE DIVINA GRATIA
AVSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
GVILIELMI HENRICI
DVCIS SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM AN-
GARIAE WESTPHALIAEQVE RELIQA
RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI

1834,3
131

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM IVRIDICAM
DE
FEVDO KEMINATAE
VVLGO
Kemnad.

SVB MODERAMINE
IO. SALOM. BRVNNQVELLIL, IC.

SERENISSIMIS SAXONIAE DVCIBVS ISENACENSIS ET GOTHANAE DI-
TIONIS A CONSILIIS AVLICIS DIGESTORVM PROFESSORIS PUBLICI
COLLEGIORVMQVE IVRIDIC. ASSESSORIS GRAVISSIMI

PATRONI AC PRAECEPTORIS PIE DEVENERANDI
PRO GRADV IVRISPRVDENTIAE DOCTORIS

LEGITIME CAPESSENDO

AD D. XXVII. MARTII A. O. R. M DCC XXXIII.

H. L. Q. C.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET
IOANNES PHILIPPVS TREVNER

AVGVSTA - VINDELICVS.

IENAE EX OFFICINA RITTERIANA.